

CAPUT IV.

DE HIS QUI TENENTUR LEGIBUS.

36. *Quis tenetur legibus.*
 37. *An pueri.*
 38. *An legislatores.*
 39. *et 40. An peregrini.*
 41. *Si peregrini morentur per breve tempus.*
 42. *An Episcopus possit dispensare cum peregrinis in votis, jejuniis, etc.*

36. Advertendum, quod alii non tenentur legibus humanis, de quibus hic est sermo, et isti sunt infideles, pueri, et mente capti. Alii vero sunt excusati a legibus, ut sunt ebrii, dormientes et ignorant. Qua de re non licet secundos inducere ad legem transgrediendam, primos bene quidem. Sed semper peccatum est inducere quemquam ad violandam legem naturalem (1).

37. Dicunt s. Antoninus, et alii, pueros non statim post usum rationis teneri legibus ecclesiasticis, sed saltem post decennium. Hæc opinio jure merito ab aliis rejicitur. Imo si quis parvulus in aliquo casu raro, etiam ante septennium, perfecto rationis usu polleret, iste quoque valde probabiliter teneretur, ut multi censent, licet contrariam opinionem non puto improbabilem, ex eo quod dicit s. Thomas (2), quod leges non respiciunt casus raros, sed communiter contingentes: *Legislator attendit ad id quod communiter et in pluribus accidit.* Præcepto tamen annuæ confessionis hujusmodi parvulus, si mortaliter peccasset, procul dubio teneretur; quia in *cap. Omnis utriusque sexus, de poenit. et rem.*, expresse obligat quemlibet, qui ad annos discretionis pervenerit. In dubio vero an quis parvulus ad usum rationis perfectum pervenerit, nec ne, ante septennium non præsumitur pervenisse post illud præsumitur utique (3).

38. Legislatores etiam tenentur ad leges, saltem sub levi, ob exemplum cui debent esse subditi. Et sub gravi

(1) Lib. 1. n. 453. — (2) 2. 2. q. 147. a. 4.
 (3) Vide lib. 3. n. 270.

si res agitur de taxatione pretii, aut de valore contractus (4).

39. Quoad peregrinos plura notanda sunt: 1. Peregrinus tenetur quidem legi communi pro quolibet loco, modo illa regio sit catholicorum, et ibi non adsit contraria consuetudo (5) sed non legibus localibus suæ patriæ quamdiu ab ea abest, quamvis eo animo discederet, ut ab illis eximeretur. Hoc idem efficeret, si in locum exemptum, et si ipsiusmet diocesis, se conferret. Et hæc ratione probabiliter sunt ab episcopi jurisdictione exempta monasteria, et ecclesiæ regularium, ubi competens numerus manet, ut dicunt Sayrus, Avila, Henriquez, et Salmant. cum Candido, et Diana, Nav., Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. *de ref. in fine*, vocat exemptas tam personas, quam loca regularium (6).

40. Nota 2., quod peregrinus tenetur legibus loci, ubi moratur, licet ibi contraxisset tantum quasi domicilium, juxta communem sententiam quidquid dicant nonnulli auctores, qui requirunt verum domicilium. Hic advertendum, quod ille dicitur contrahere verum domicilium, qui habet animum perpetuo permanendi alicubi, et hic animus præsumitur cum ille eo majorem partem suorum bonorum transfert, aut ibi construit, aut emit domum: aut expresse declarat, hunc animum habere: aut ibi moratus est decem annos, nullum præbens indicium, quod velit illinc amplius discedere. Quasi domicilium contrahitur cum majorem anni partem aut per notabile tempus anni incolit aliquod oppidum (7).

41. Dubitatur I. inter dd., an teneatur legibus loci peregrinus, qui breve tempus ibi moratur. Prima sententia affirmat cum Pontio, Covar., Salas, Tapia, et vocant eam probabilem Sanch. et Salmant.; quia (juxta quod ipsi dicunt) expedit publicæ paci, et ad vitanda scandala, ut omnes observent leges loci ubi repe-

(4) L. 1. n. 454. — (5) L. 1. n. 456. — (6) N. 457. — (7) Cit. n. 456.

CAPUT V.

QUE CAUSÆ EXCUSANT A PRÆCEPTI TRANSGRESSIONE

43. *Excusat ignorantia.*
 44. *Timor.*
 45. *Impotentia,*

43. Excusat 1. Ignorantia, si est invincibilis etiam in materia præceptorum naturalium, quoad conclusiones tamen solas mediatas, ut explicatum est superius de conscientia, *tract. 1. n. 5.* Secus vero si est vincibilis, nempe quando homo potest et debet scire veritatem et præterea advertit ad obligationem dubium superandi, et negligit eam; ita communiter s. Antonin., Suar., Sylvius, Gerson, Nav., Sanch., Castropal, etc. ex s. Thom. *de verit. qu. 15. a. 4. ad 10. et 1. 2. q. 76. a. 3. (3).*

44. Excusat 2. Timor; sed distinguenda sunt præcepta positiva a naturalibus. A *positivis* etiam divinis excusat timor gravis mali, si præcepti observantia non esset necessaria ad evitandum commune scandalum, aut ad conservandum erga Ecclesiam obsequium: puta si quis cogeretur ad violandum jejunium in religionis catholice contemptum; quia tunc tenetur præcepto obtemperare, etiam cum vitæ jactura. Præcepta vero *naturalia* si sunt affirmativa, non semper tenemur ea observare: quare cum vitæ dispendio non tenetur depositum reddere, nec votum persolvere, etc. At a negativis, puta a non fornicando, a non pejerando, nullus timor unquam excusat, etsi ab aliquo præcepto negativo, puta a non occidendo, non furando, excusat aliquando timor (cum liceat occidere injustum aggressorem pro tuenda vita, et alterius bona surripere, si alia via non patet, qua liberari possit ab aliqua gravi infamia) tunc dicimus, quod cessat in tali casu præceptum. Et idem melius dicendum de præceptis affirmativis, quin fiat illa

(3) N. 7. ad 11. et n. 168.

riuntur. Sed plures dd. dicunt, non sufficere simplicem illac transitum, ut quis teneatur legibus illius loci. Alii dicunt sufficere unum diem moræ, alii requirunt majorem partem diei. Sed magis probe disserit pater Suarez, qui sic distinguit. Si peregrinus ille illuc adventit tamquam in terminum itineris sui, tunc tenetur ille ad omnes leges illius loci; si vero illac tantum proficiscitur, non obligatur præceptis positivis, v. gr., jejunii, et missæ, quia præcepta positiva tantum obligant incolas non vero illac transeuntes; sed tenetur ad præcepta negativa, quæ obligant *pro semper*, cum habeant tractum successivum per illum totum diem. Hæc prima sententia est satis probabilis; sed communius et probabilius est, non teneri legibus loci peregrinum, qui ibi quasi domicilium non contrahit, per moram (ut diximus) majoris aut notabilis partis anni, quia lex non obligat nisi subditos, quales non judicantur, qui parum temporis alicubi morantur. Dummodo (limitatur) non sit lex de jure communi, aut versaretur circa validitatem contractuum (1).

42. Dubitatur II. an episcopus loci possit dispensare cum peregrinis vota, juramenta, jejunia, et festa circa opera servilia. Affirmat prima sententia cum Pontio, Tannero, de Januarii (et probabilem vocat Castropal.), ratione qua supra, nempe quod peregrinus pro qualibet mansionem etiam brevi alicubi facta (modo eo adveniat tamquam ad terminum sui itineris) fit subditus episcopi loci, et si est probabilis hæc ratio, ut diximus, probabilis quoque est sententia hæc. Sed juxta id quod dictum est, communior ac probabilior est sententia negans posse episcopum dispensare vota, nisi cum iis peregrinis, qui quasi domicilium contraxerunt (2).

(1) Lib. 3. n. 332. v. An autem. et 4. 1. n. 456. dubit, 2. (2) L. 1. n. 458.

distinctio, quam nonnulli assignant, nempe quod præcepta naturalia et affirmativa obligant *semper*, sed non *ad semper*, negativa vero *semper*, et *ad semper* (1).

45. Excusat 3. Impotentia. An autem cum non possit observari totum præceptum debeat observari pars possibilis. Hac distinctione utendum: si præceptum commode divisionem patitur ita, ut in qualibet ejus parte etiam salvetur finis præcepti, tunc, licet non possit servari totum præceptum, debet adimpleri pro parte possibili, v. g. si non potes recitare omnes horas canonicas, debes recitare partem quam potes et opposita propositio jam proscripta fuit ab Innoc. XI., et est 54. Ita etiam tempore jejuniorum si dispensatus es ad carnes, teneris tamen servare unicam comestionem, ut declaravit Bened. XIV. in constitutione, *Ambigimus* (2). Secus procedit, si in parte non salvatur ratio præcepti; quare si ex voto teneris Roman proficisci, et illuc non potes pervenire, non est obligatio partem itineris aggredi (3). Excusant etiam a lege dispensatio, epikeia, et consuetudo contraria; sed de his seorsim in sequentibus capitibus,

CAPUT VI.

DE DISPENSATIONE.

46. An ad dispensationem requiratur *semper* causa justa.

47. Si est obreptitia, etc.

48. Potest expostulari etiam a tertio.

49. Dispensatio tacita.

50. Causa dispensationis.

51. In dubio an indigeatur dispensatione.

52. An Superior teneatur dispensare.

53. Dispensatio concessa cum bona, aut mala fide, sed sine causa.

54. Concessa ob timorem.

46. Dispensatio legislatoris, aut illius qui ei similem habet potestatem pariter excusat a lege; dummodo jus- (4) L. 1. n. 176. — (2) Vide l. 3. n. 1043. — (3) Lib. 4. n. 477

ta adsit causa; alias peccat qui dispensat; sed non nisi venialiter (si ipse est primarius superior), ut probabiliter dicunt Sanch., Castropal., Laym., Salmant., Pontius, etc. Et in dubio an causa sit justa nec ne, ab omni culpa est immunis, ut recte dicunt Sanch. et Salmant., cum Granado et Diana (quidquid dicat Bonac). Qui vero hujusmodi dispensationem, nempe sine causa, a superiore impetrat, probabiliter non peccat, dum ipsa utitur, Suar., Salmant., Castropal., Pontius etc.

47. Notandum 1., quod cum illud quod exponitur pro dispensatione est subreptitium, vel obreptitium (nempe cum falsum exponitur, vel veritas tacetur) dispensatio est nulla quoties tacetur quod de *stylo curiæ* erat exprimendum: seu cum causa finalis, sive motiva (non autem impulsiva), quæ exponitur, est falsa. In dubio vero an causa falsa allegata sit finalis, aut impulsiva, dicunt Sanch., Pontius, Castrop., Salmant., etc., dispensationem esse validam, etenim leges in dubio favent actus validitati. *L. Quoties ff. de reb. dub.* Et idem dicunt dd. citati, si multæ causæ fuerint expositæ, quarum aliæ veræ, aliæ falsæ, sed quælibet earum erat causa sufficiens ad dispensationem impetrandam (4).

48. Notandum 2., quod dispensatio pro uno, licet inscio, atque invito, potest impetrari ab aliis. Advertendum tamen est, quod quæ a pœnitentiaria impetrantur, debent expostulari vel a pœnitente, vel a confessario, aut saltem a consanguineis usque ad 4. gradum. *Cap. De motu, de prebend. in 6.* Semper tamen dispensatio debet acceptari a principali ut habeat suum effectum (5).

49. Notandum 3., quod potest aliquis uti dispensatione tacita, modo possit juste præsumi consensus de *presenti* superioris. Hinc fit, quod si superior videt legem negligi, et (4) Lib. 4. n. 485. v. Quæritur. — (5) Lib. 4. n. 486. ad 40.

facet, cum posset faciliter, et sine incommodo corrigere, juste præsumitur, quod velit tunc dispensare; Suer., Sanch., Castrop., Salm. etc. (1). Dicitur est de *presenti*, quia a *dd.* dumtaxat admittitur licentia præsumpta, non autem dispensatio; etsi, hoc non obstante, dicit Elbel citans Suarez, Silvestram, Filiuc, etc., quod urgente necessitate, in qua non possit adiri superior pro dispensatione, bene potest operari cum dispensatione præsumpta (2).

50. Notandum 4., alias esse causas quæ ex se excusant a præcepto, et his stantibus non requiritur dispensatio, quoties sunt saltem probabiliter justæ: alias esse sufficientes ad dispensationem, sed ea opus habent: hujusmodi sunt aut dignitas postulantis, aut superioris, v. g., ut habeatur benignus utilitas communis, et etiam privata, et aliæ id genus (3).

51. Notandum 5., quod in dubio sive negativo, sive positivo, an casus indigeat nec ne dispensatione, potest subditus uti sua libertate; licet satius esset adire superiorem, ut declaret, aut dispense; cum in casibus dubiis prælatus, etiamsi inferior, possit dispensare, licet nihil specialiter circa hoc sibi commissum fuerit a superiore, ut dicunt Laym., Castropal., Sa, Diana, et Salm. (4). Excipiuntur tamen dispensationes matrimoniales, in his enim non solum agitur de valore contractus, sed etiam sacramenti, ideoque non possumus operari cum dubio, imo nec cum opinione probabilis circa factum (si tamen circa factum potest dari opinio probabilis), quia in dubiis de facto non præsumitur Ecclesia dispensare circa impedimenta, ut præsumitur in probabilibus de jure, nec sponsi possunt exponi periculo nuptias celebrandi sine gratia sacramentali, nec hujus auxiliis possunt cedere. Prop-

(1) Lib. 4. n. 487. — (2) N. 495. v. Notandum. — (3) Elb. de 3. præcepto 444. — (4) Lib. 4. n. 492.

terea in casibus dubiis debent recurrere ad episcopum, qui bene potest dispensare in impedimentis dubiis, ut communiter dicunt Merbesius, Cabassut., Cont. Tournely, Sa, Pichler, Castrop., Salm., Roncaglia, Holzmann, etc. (5).

52. Quæritur 1. An justa existente causa superior teneatur dispensare. Distinguendum: si causa ea est, ut tantum reddat convenientem dispensationem, non tenetur: contra vero, si reddit necessariam ad evitandum aliquod grave damnum, aut ad procurandum aliquod magnum commune bonum, imo etiam privatum, ut dicunt Coninch., Sanch., Salmant., etc.; cum s. Thoma (6). Sed cum dispensatio negatur, licet injuste negetur, subditus nihilominus legi obligatus remanet, nisi causa esset talis, ut omnino eum a lege subtraheret, ut si urgeret necessitas contrahendi matrimonium, omissis denunciationibus, et episcopus injuste negaret dispensationem, ut dicunt Sotus, Sanch., Coninch., Salmant., Castrop., et alii (7).

53. Quæritur 2. An valeat dispensatio, cum superior eam concedit in mala fide, putans, causam non adesse, quæ revera adest. Resp. si dispensat legislator utique valet. Si autem dispensat prælatus inferior; alii dicunt nullam fore; inferi enim data est facultas dispensandi tantum ex causa; sed opposita sententia est communior, et probabilior, quia valor dispensationis non ex causæ cognitione, sed ab existentia pendet; prout valet electio capacis ad beneficium, licet ab electore judicetur incapax, ut ex *Cap. Nihil de elect.* (8). Secus dicendum cum Castrop., Pontio, Suarez, Laym., Salas, Soto, et Navar. (contra Sanchez, Busemb., Salm. etc.), si dispensatio obtenta fuerit bona fide, sed sine causa, quia, hac cessante, inferior nullam habet facultatem

(5) Lib. 6. n. 902. Quæ. 2 et 3. — (6) 1. 2. qu. 97. a. 4. — (7) L. 4. n. 479. — (8) Num. 481.

dispensandi in lege superioris. Hoc tamen intelligitur, cum patet causam certe sufficientem non fuisse. Ceterum in dubio possessio stat pro dispensationis valore, ut advertunt iidem auctores (1).

54. Quæritur 3 An valeat dispensatio timore incusso obtenta. Resp. Semper ac justa adsit causa dispensandi, modo non constet (dum non satis est dubium), superiorem non habuisse animum dispensandi, valida est dispensatio, quia timor non auferit voluntarium. Et est etiam licitum hujusmodi dispensationem timore incusso obtinere, modo timor juste fuerit incussus, v. gr. superiorem aduendi, si inferior eam deneget (2).

PUNCTUM I.

DE HIS QUI POSSUNT DISPENSARE.

55. et 56. De potestate ordinaria in quo possit dispensare Papa.
57. et 58. In quo Episcopi.
59. Parochi.
60. Prælati regulares.
61. De potestate delegata, quicumque eam habet ab Ordinario. Si delegatus moritur.
62. Clausula, donec dispensetur.
63. Subdelegatus.
64. Cum seipso.

55. Secernenda est in hoc potestas ordinaria a delegata. De potestate ordinaria potest papa dispensare in omnibus legibus canonicis, etiam ab apostolis emanatis, ut præsulibus particularibus ecclesiarum. Cujusmodi sunt jejunium quadragesimale, observatio festorum in dominicis, irregularitas bigamiæ, etc., juxta quod docet s. Thomas (3), posse papam dispensare in omnibus iis quæ spectant ad determinationem divini cultus, non autem in legibus quas apostoli tradiderunt uti receptas a Jesu Christo, prout sunt leges circa materias et formas sacramentorum, et circa oblationem sacrificii.

(1) N. 182. et fusius l. 3. n. 251. — (2) Lib. 1. n. 184. — (3) Quolib. 4 a. 13.

56. An autem papa etiam possit dispensare in aliquibus præceptis divinis. Resp., quod in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, uti sunt vota, et juramenta, certum est apud omnes (justa modo existente causa), posse dispensare. Nam tunc papa non tollit jus divinum, sed auferit fundamentum talis obligationis, seu, ut ait s. Thomas (4) *Determinat quid sit Deo acceptum*. Dubium igitur versatur, an possit dispensare in iis quæ absolute a Dei voluntate pendent. Tres adsunt sententiæ. Prima est Abbatis cum paucioribus, affirmativa universaliter. Secunda, quæ est Navarri, Cani, Sanchez etc., affirmat, tantum in casibus particularibus, prout in matrimonio rato, in residentia episcoporum, in dando facultatem simplici sacerdoti conferendi ordines minores, et sacramentum confirmationis et in similibus sed negat in aliis rebus, in quarum quolibet casu debet evitari indecentia, uti in præcepto de non fornicando, de non mutandis materiis sacramentorum (saltem quoad substantiam) et aliis id genus. Tertia communior et probabilior, est Suar., Sylvest., Castropal., Covar., cum s. Thoma (5), negat universaliter, quia inferior nihil potest in lege superioris. Nihilominus valde probabiliter dicunt Sotus, Suar., Navar., Coninch., Durandus etc., quod papa in aliquo casu particulari bene potest non jam dispensare, sed declarare, legem divinam in illo casu particulari non obligare: nam talis potestas in papa videtur necessaria adesse pro bono communi Ecclesiæ, propter tot varias circumstantias, quæ contingere possunt (6).

57. Episcopi etiam de potestate ordinaria possunt dispensare in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus suæ diocesis. Eademque potestate gaudet capitulum, sede vacante, non autem vicarius episcopi, ut dicunt Salmant., et Sanch., cum

(4) 2. 2. q. 88 a. 12. — (5) 1. 2. q. 97. a. 4. — (6) Lib. 6. n. 1119.

aliis communiter (1), quia in generali commissione non includitur facultas dispensandi, nisi specialiter committatur. Possunt quoque episcopi dispensare cum suis subditis in statutis concilii provincialis non reservatis (2) Item in legibus pontificiis communibus, ut sunt irregularitates, impedimenta matrimonii, vota reservata, et his similia; quoties tamen imminens est periculum, et non patet facilis accessus ad papam, ut dicitur *Tr. XX. de privilegiis*. n. 29. et seq. Item in iis legibus pontificiis, quæ latae sunt præcipue pro illa diocesi (3). Item in iis casibus, in quibus justum dubium versatur utrum indigeant dispensatione, necne (4). Item in omnibus iis, quæ regulariter accidunt, ut in votis (modo reservata non sint), in jejniis, in observantia festorum, in abstinencia a carnibus, et similibus. Et in his omnibus possunt delegare dispensationem etiam aliis; talis enim facultas competit episcopis de jure ordinario, cum sit perpetuo connexa suæ dignitati (5).

58. Possunt etiam episcopi dispensare in omnibus canonicis statutis, in quibus adesset clausula, *donec dispensetur*, propter quam intelligitur facultas data (6). An autem episcopi possint dispensare in omnibus legibus canonicis, ubi reservata non est dispensatio expresse. Multi dd. hoc admittunt, prout Sotus, Covar., Sporer, s. Antonin., (qui hanc vocat communem), et Elbel (qui vocat communissimam, et pro ea adducit s. Bonav. et Scotum), et Castropal. appellat probabilem cum Glossa in *cap. Nuper de sent. excomm.*, ubi Pontifex sic fassus fuit: *Quia tamen conditor canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi*. Et

(1) Salm. de leg. c. 5. n. 32. et Sanch. de Matr. l. 2. d. 40. n. 12. — (2) Lib. 1. n. 490. — (3) Ibid. v. Item in legibus. — (4) N. 192. et l. 6 n. 902 v. ceterum. — (5) L. 1. n. 190. v. Possunt, et v. Et in his. (6) Salmant. de leg. c. 6.

Glossa subdit: *Est hic argumentum, episcopus posse dispensare ubi specialiter dispensatio non est inhibita, ex l. Nec non ff. Ex quibus caus. Contra vero negant Suar., Bon., Salmant. etc. in cap. Dilectus, de temp. ord.*, ubi quidam episcopus, cum contulisset uni plures ordines eodem die, suspensus fuit ob hanc rationem: *Cum illi hujusmodi dispensatio a Canone minime sit permessa*. Et respondent ad textum primo allatum, quod illa dispensatio fuit facta tantum pro absolute a censuris. Sed hoc non obstante prima sententia est satis probabilis, quia possumus uti eadem responsione pro textu secundo, quod valet tantum in materia ordinationis. Tanto magis quod in primo textu videntur verba generaliter loqui, in secundo autem specialiter de ordinatione, cum adhibeat verbum illud *hujusmodi*. Ad id quod opponitur, quod inferior nihil potest in lege Superioris, responderi potest id procedere de inferiore, qui totam suam potestatem habet a principe, non autem de Episcopis, qui probabiliter suam potestatem immediate habent a Deo (licet Papæ subordinatam) uti tenent Sotus, Vasq., Victor. Tournely, Natal. ab Alexand., etc. Hinc dicunt multi dd. quod Episcopus potest in diocesi id, quod potest Papa in tota Ecclesia, præter ea, quæ sibi Papa reservavit, aut pertinent ad universalem statum Ecclesiæ, ut dictum est n. 33. circa finem (7).

59. Parochi similiter de jure ordinario propter consuetudinem videntur posse dispensare cum suis parochianis, etiam præsentem Episcopo, in necessitatibus frequentibus; sed solum in iis in quibus adest usus dispensandi, utpote jejunio, et in abstinencia a labore in diebus festivis; ita Suarez, Silvester, San-

n. 37. cum Suar. Cajet. Bonac. Castrop., etc. — (7) Lib. 1 n. 191. et l. 3. n. 397 in fin. v. Quod ad.

chez, Salmanticenses, Viva et alii communiter (1).

60. Prælati regulares etiam de potestate ordinaria sibi a jure concessa, possunt dispensare in regulis particularibus, dummodo hoc eis non sit expresse vetitum in aliqua materia. Et ex privilegio etiam Prælati inferiores possunt dispensare in omnibus parvi momenti rebus, aut propriis pro illo conventu, aut frequenter contingentibus: Peirin. Castropal. et alii (2).

61. Quoad autem potestatem delegatam dispensandi, notanda sunt: 1. Quod quicumque ordinariam habet potestatem, potest eam aliis delegare, ut communiter Suarez, Castropal. Pontius, Salmant. et alii (3). Potestas ordinaria ea est, quæ officio, sive dignitati annexa est, ut dicitur *Tract. n. 34. An autem exspirat nec ne morte delegantis; affirmatur si facta sit per modum commissionis in casu particulari, et cum res etiam integra est; et tunc dispensatio stricte est interpretanda, quia tunc uti odiosa habetur, ex cap. 1. §. 1. De filiis presbyt. Dummodo non sit concessa ex motu proprio Superioris, aut in corpore juris non inserta sit, ut in Decretali, etc. aut dummodo non concedatur ob commune bonum, aut in favorem aliquus communitatis. Si autem dispensatio concessa sit per modum gratiæ, tunc non expirat morte delegantis; et tunc large interpretanda est (4): tunc igitur in dubio an adsit causa sufficiens, an non pro dispensatione, bene potest delegatus dispensare, ut dicunt Cajetanus, Sylvester, Sanchez, Salmaç. Tapia, Granada, etc. (5).*

62. Notandum 2., quod in iis legibus, ubi apposta est clausula, *Donec dispensetur*, possunt prælati inferio-

(1) Lib. 1. n. 490. v. Item potest, et lib. 3. n. 288. — (2) L. 1. n. 494. — (3) n. 490. v. Et in his, et 493. — (4) n. 493. — (5) n. 492.

res semper dispensare, ut dicunt Cajetanus, Suar., Bonac., Salmant. Castropal. etc. (6).

63. Notandum 3., quod delegatus non potest subdelegare nisi cum expresse sibi concessum est, aut sit delegatus a principe, aut a pontifice, cap. fin. §. 1. *De offic. et potest. deleg.*, aut cum est delegatus ab ordinario prælato ad universitatem causarum. L. 1. §. *A^a ab eo, ff. Quis et a quo* (7).

64. Notandum 4., quod habens facultatem universalem dispensandi cum aliis, potest dispensare etiam cum seipso: ita communiter Cajetanus, Laym., Castrop., Salmant., Bonac. etc., cum s. Thom. 2. 2. q. 185. a. 8. *in fine* (8).

PUNCTUM II.

Quot modis potest cessare dispensatio.

65. et 66. *Cessat I. Causa cessatione.*
67. *II. Revocatione.*
68. *III. Renuntiatione.*

65. Dispensatio tribus modis cessat. I. Causa cessatione II. Revocatione dispensantis. III. Renuntiatione dispensati.

66. Et I. Cessat dispensantis *cessatione causa*. Hoc tamen intelligitur 1., si cessat causa motiva, seu finalis, si cessat totaliter; si enim cessat sola causa impulsiva, aut si motiva non cessat omnimode etiam durat dispensatio. Intelligitur 2., dummodo dispensatio non sit sortita effectum suum, et dummodo dispensationi non sit addita aliqua commutatio gravaminis. In dubio autem an cessaverit omnimode, valet dispensatio quia in possessione reperitur (9). Intelligitur 3. Si dispensatio concessa sit sub conditione, saltem subintellecta, si perseverat causa: prout præsumitur ita concessa quoties causa non esset perpetua. Etenim si dispensatio est

(6) n. 490 Ev. Notand. — (7) L. 1. n. 493. — (8) Vide lib. 3. n. 249. v. Ultimo et n. 256. in fin. — (9) Lib. 1. n. 495. v. Quær. et n. 496.

data absolute cum conceditur ex causa pro perpetua habita (v. g. propter morum honestatem, ob ministrorum paucitatem, propter parentum paupertatem, etc.), tunc probabile est, quod etiam cessante causa finali non cesset dispensatio, quia semel per dispensationem sublata legis obligatione, hæc non redit, nisi iterum a superiore imponatur; ita Suarez, Pontius, Castropal., Sa, Salmant., Laym., Perez, etc. contra Bonac., Trullench. etc. (1). Et quoties dispensatio absolute concessa est, illa ne cessat quidem, quia semel jam ea quis usus fuerit, v. g. qui dispensatus fuit a voto castitatis ad contrahendum matrimonium, mortua conjuge etiam durat dispensatio, ut ad secundas nuptias transeat, modo illa non data sit oro illo solo casu (2).

67. Cessat II. dispensatio *revocatione dispensantis*, qui (nota hic) peccaret si eam non revocaret, cum jam cessaverit totaliter causa finalis. Contra etiam peccaret (licet tantum venialiter), si eam sine causa revocaret; sed valida esset revocatio (3). Hic quaeritur, an cesset dispensatio morte dispensantis? Respondetur: si dispensatio absolute concessa est, aut cum clausula, *donec revocetur, aut ad arbitrium sedis apostolicæ, vel episcopi*, tunc non cessat. Cessat contra, si apposta est clausula, *donec nobis placuerit, aut ad nostrum arbitrium*, dummodo res executioni non incoeperit mandari (4).

68. Cessat III. *Renuntiatione dispensati*, dummodo sit acceptata a superiore, alias subditus semper poterit ea uti, licet numquam ea usus fuerit (5).

CAPUT VII.

DE LEGIS CESSATIONE, INTERPRETATIONE, ET EPIKEIA.

69. *An cesset finis legis.*
70. *De libris prohibitis.*

(1) Lib. 1. n. 496. — (2) Ibid. v. ult. — (3) N. 497. — (4) Ib. v. No tand. — (5) n. 498.

71. *De legibus municipalibus.*

72. *De interpretatione.*

73. et 74. *An declarationes indigeant promulgatione.*

75. *De interpretatione doctrinali.*

76. *Regule interpretationis.*

77. *De epikeia.*

78. *Quando lex extenditur a casu ad casum.*

69. Circa cessationem legis magna exagitur quaestio; an, cessante fine legis adæquato (nempe totali) in particulari, cesset lex. Certum est, quod si cesset in communi finis totalis, cessat lex; cum enim hæc inutilis reddita sit, amplius non obligat. Ita s. Thomas (6). Et tunc sufficit cuiusque, si sciat probabiliter, quod lex in communi cessaverit (7). Si autem cessat finis adæquatus tantum in casu particulari, tunc oportet distinguere: si cesset *contrarie*, nimirum si lex redderetur nociva in eo casu, aut saltem valde difficilis, tunc etiam communis est sententia, eam non obligare. Dubium igitur restat ad videndum, an cessante fine adæquato in particulari, et privative, nempe si lex pro illo casu particulari, aut pro illa persona esset inutilis. Sententia communior est, quod etiam obliget; quia quamvis cesset damnum particulare, non cessat tamen periculum in communi hallucinationis, quod quisque in casu proprio decipi potest. Ita s. Thomas (8). Sed oppositum tenent plures graves dd., nimirum Cajet., Sylvester, Panorm., Angel., Valent., Sa, Cardenas, Ledesma., Granada, Henriquez, Hurtad., et Tamb. cum Na. Abb., et Comit., et Salm. ac Viva vocant etiam satis probabilem, dicentes, quod sicuti cessante fine in communi cessat lex pro omnibus; ita cessante fine in particulari, cessat lex in particulari, cum æque in ambobus casibus lex reddatur inutilis. Et quemadmodum cessante fine in uno tempore, cessat lex pro illo, licet non cesset pro alio

(6) 4. 2. q. 403. a. 4. ad 3. cum aliis communiter. — (7) Vide Salm. de leg. c. 4. n. 4. — (8) 2. 2. q. 154. a. 2.